

EXEGESIS.

(I.)

Moribus & Constitutione hac Carolina inductum est, ut pisces in lacu & stagno privato comprehensi pro privatis habeantur, inque illis furtum committatur, quasi quodammodo jam capti & naturali libertate exempti dominio nostro subiecti sint. In rebus autem nostro dominio subiectis furtum committi posse, nullum est dubium.

(2) Distingvit Imperator, utrum pisces capti sint ex piscina vel vivario: an verò ex aqua profluente, & minus clausa? Pisces enim, qui in piscina vel vivario detinentur, rebus & usibus cujusque hominis privati sunt destinati, atque ita ab omni injuria ibidem tuti esse debent. Hinc fur, qui eos exinde furatur, similiter ut alius fur vel fustigatione, vel interdum relegatione, quandoque etiam pro qualitate admissi furti poena ordinaria laquei puniri poterit. Cujus est ratio, quòd pisces in stagno vel piscina inclusi à nobis possideantur, *l. 3. §. 14. ff. de acquir. vel amit. poss.* Et quia in omni eo, quòd possidemus, quòdque in patrimonio nostro computatur, furtum fieri poterit, *per l. 8. §. 1. ff. famil. herisc. Tholosan. l. 37. c. 5. num. 14. Syntagm. Jur. Univ. f. 23. Matthias Berlich. part. 5. Conclus. n. 15. f. 93.*

(3) Quod si quis ex aqua fluviali, fluminis parte non interclusa, sed tamen privati dominio subiecta, pisces furatur, puniri quidem debet, sed arbitrariè, & juxta consilium Prudentum, ita ut vel multa quadam, vel poena corporis afflictiva juxta qualitatem piscationis, & conditionem personæ coërceri debeat. Ratio videtur hæc esse, quòd piscis in flumine etiam privato non possideantur à domino fluminis, sed illi liberè de una fluminis privati parte in aliam vagari queant, *L. 3. §. 14. ff. de Acquir. vel amit. poss.* furtum autem in re, quæ non possidetur à quoquam, neutiquam committitur, *l. 1. §. 15. ff. si is, qui testam. lib. esse iuss. erit. Bocer. c. 2. num. 95. & 96. p. 128. de Furtis. Eleganter Carpz. part. 2. quest. 84. num. 81. 82. 83. fol. 292. Pract. Crimin. Berlich. part. 5. Conclus. 51. num. 11. 12. 13. 14. f. 93.* Quod de piscium furibus dictum est, idem quoque de furibus cancerorum statuendum est, ob paritatem rationis, vide Carpzov. *d. quest. n. 92. f. 293.*

(4) Ad-